

§ 7. Item dimittimus pro remedio anime nostre decem milia morabatinorum distribuenda^a per predictos executores in pauperibus vestiendis et in pauperibus mulieribus maritandis et in aliis piis causis ad cognitionem dictorum executorum.

§ 8. Instituimus nobis heredem universalem infantem Alfonsum filium nostrum in regno nostro, scilicet in Aragonia, Catalonia et terris Valencie, comitatibus, vicecomitatibus, civitatibus, villis, castris et omnibus aliis terris et locis regno, dominacioni et iurisdiccioni nostre subiectis et in dominio et aliis omnibus iuribus que habemus et habere debemus in regno Maioric(arum) et in comitatibus Rossilionis et Ceritanie et in aliis comitatibus, vicecomitatibus, villis, castris, terris et locis aliis que frater noster Iacobus rex Maioric(arum) habet et tenet per nos et in omnibus eciam aliis bonis et iuribus nostris quecumque habebimus tempore obitus nostri.

§ 9. Item dimittimus infanti Iacobo filio nostro terras de Rippacursia et de Paylars cum terminis et iuribus eorum, tam ea videlicet omnia que nos ibi habemus et accipimus quam ea omnia que comes de Paylars et barones, milites et alii homines ibi tenent per nos, et omnes redditus, proventus et alia iura universa que habemus et accipimus et habere et accipere debemus in dictis terris sive locis et terminis earum prout hec limitata sunt in instrumento donacionis a nobis sibi facte de predictis et in hiis que dimittimus dicto infanti Iacobo. Ipsum nobis heredem instituimus, ita videlicet quod dictus infans Iacobus et heredes et successores ipsius in dictis locis teneant ad feudum predictas terras sive loca pro dicto infante Alfonso filio et herede nostro universali et heredibus suis, et sint inde vassalli eorum, et eis faciant dictus infans Iacobus et heredes sui homagium pro predictis, et quod donent eis irati et paccati potestatem de castris omnibus que sunt infra terminos dictorum locorum, et quod dictus infans Alfonsus et heredes sui possint de predictis locis que dimittimus dicto infanti Iacobo facere guerram et pacem sicut de re sua propria, et quod alter alterum iuvare et defendere teneatur in omnibus contra cunctos^b.

§ 10. Item volumus et mandamus, quod predictus infans Alfonsus heres a nobis universalis institutus vel quicumque sit nobis heres universalis et heredes ipsius provideant infanti Frederico^c et infanti Petro filiis nostris decenter in alimentis eorum; et dimittimus ipsos sub mercede dicti heredis nostri universalis, et hec eis dimittimus iure institutionis pro hereditate paterna.

§ 11. Item dimittimus domine Isabel filie nostre, uxori illustris regis Portugalie, iure institutionis decem milia morabatinorum ultra ea que iam ei dedimus. Item si predicta regina Portugalie filia nostra decederet antequam nos et filius vel filii ex ea remanerent, dimittimus ipsi filio vel filiis iure institutionis decem milia morabatinorum predicta.

§ 12. Item dimittimus Yolant^d filie nostre iure institutionis triginta milia librarum Barchinonensium monete de terno que heres noster universalis teneatur sibi solvere et cum ipsis eam maritare et quod interim, donec solverit ei dicta triginta milia librarum, teneatur ei et familie sue honorifice providere.

§ 13. Item laudamus et confirmamus domine Constancie regine Aragonum consorti nostre dotem suam quam pro ea recepimus et sponsaliciu seu donacionem propter nupcias quam^e ei fecimus sicut per instrumenta inde confecta

a) distribuendo S

b) cunctis S

c) ffederico A

d) Yolán S

e) quem A